

**G**loria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. **Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.** Domine Deus, Rex cælestis, Deus Pater omnipotens Domine Fili unigenite, **Jesu Christe.** Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris Qui tollis peccata mundi, miserere nobis Qui tollis peccata mundi, **suscipe deprecationem nostram.** Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis Quoniam tu solus sanctus Tu solus Dominus Tu solus Altissimus, **Jesu Christe.** Cum Sancto † Spiritu, in gloria Dei Patris Amen.

**M**unda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaia Propheta calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

**S**uscipe, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus, et negligentis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

**O**fferimus tibi, Domine, calicem salutaris tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinæ majestatis tuæ, pro nostra et totius mundi salute, cum odore suavitatis ascendat. Amen.

**I**n spiritu humiliatis et animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus

**V**eni, sanctificator omnipotens æterne Deus et benedixit hoc sacrificium, tuo sancto nomini preparatum.

**S**uscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi, Domini nostri: et in honorem beatæ Mariæ semper Virginis, et beati Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum et omnium sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignetur in cælis, quorum memoriam agimus in terris Per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

**Q**ui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cælum ad te Deum, Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens Accipite et manducate ex hoc omnes

### **HOC EST ENIM CORPUS MEUM.**

**S**imili modo postquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens Accipite, et bibite ex eo omnes

### **HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI: MYSTERIUM FIDEI: QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.**

Hæc quotiescūque feceritis  
in mei memoriam facietis

**C**redo in unum Deum. Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium Et in unum Dominum **Jesum Christum,** Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis. **Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est.** Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas Et ascendit in cælum: sedet ad dexteram Patris Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis Et in spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio **simul adoratur,** et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam † venturi sæculi. Amen.

**S**upplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ: ut, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus, et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

**P**laceat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihi que et omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.